

Quum non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensus: intelligi necesse est, esse deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas, cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse, necesse est. Esse igitur deos confitendum est.

Multum dare solemus praesumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tanquam deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita est; nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos deos credat.

2. Mala et impia consuetudo est, contra deos disputandi, sive ex animo id fit, sive simulate. Itaque Protagoras, sophistes temporibus illis vel maximus, quum in principio libri sui sic posuisset: *de divis, neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere*; Atheniensium jussu, urbe atque agro est exterminatus, librique ejus in concione combusti. Ferunt quoque, talentum argenti fuisse propositum praemium ei, qui Diagoram atheum occidisset. Sic ne dubitatio quidem potuit poenam effugere.

CAPUT II.

AGNOSCIMUS DEUM EX OPERIBUS EJUS.

1. Quis est tam vecors, qui aut, quum suspexerit in caelum, deos esse non sentiat, et ea, quae tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum, ac necessitudinem, persequi possit, casu fieri putet: aut, quum deos esse intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum imperium esse natum, et auctum, et retentum?

Pulchritudo mundi, ordo rerum caelestium, conversio caeli, lunae, siderumque omnium distinctio, indicant satis adspectu ipso, ea esse non fortuita: et cogunt nos con-

Ibid. 17. — Sen. ep. 117. — Cic. N. D. 2, 67 et 1, 23. — Diodor. Sic. 3, p. 333.

Cap. II. Cic. Tusc. 1, 29. — De arusp. resp. c. 9. — Div. 2, 72. — N. D. 2, 5 et 35.